



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Alexandro VII. Ad Clementem X.

**Luxemburgi, MDCCXLII.**

CXXXI. Quod Clerici Religionis Ministrantium Infirmis in quibusvis  
functionibus tam publicis, quam privatis præferantur laicis, etiam  
antiquioris professionis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74833)

consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisque quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 5. Volumus autem, ut, earundem præsentium literarum transumptis manu alicujus Notarii publici subscriptis & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. An. 8. die 4. Dec.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 4. Dec. 1662. Pontificatus Nostri Anno octavo.

CXXXI.

Quod Clerici Religionis Ministrantium Infirmis in quibusvis functionibus tam publicis, quam privatis præferantur laicis, etiam antiquioris professionis.

*Hæc consuetudo viget in omnibus Religionibus bene ordinatis, vide ad Constitut. 290. Urbani Octavi, Cum sicut.*

Edita A. D. 1662.

ALEXANDER PAPA VII.

*Ad futuram rei memoriam.*

Motiva.

Aliàs emanavit à Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet, Religionis Ministrantium Infirmis. Expositum est Sac. Rit. Congregationi Laicos Religionis Ministrantium Infirmis præsumere sibi præcedentiam deberi à Clericis ejusdem Religionis professione posterioribus, in omnibus, & quibuscumque actibus, tam publicis, quam privatis. Propter eam supplicatum fuit declarari, quænam Regula inter ipsos super jure præcedendi servanda sit.

§. 1. Et Sacra eadem Congregatio tollendis dissensionibus præsertim inter Ecclesiasticas personas addicta: ac ne ob præfatas contentiones, & lites mutua inter eos charitatis ardor frigescat: sed omnes in ejusdem charitatis vinculo, & in humilitatis spiritu juxta suam vocationem Deo famulentur, declaravit, Clericos prædictos in quibusvis actibus, & functionibus, tam publicis, quam privatis, Laicis præfatis etiam antiquioris professionis præferendos esse. Die 19. Augusti 1662. I. Episcopus Sabinensis Card. Sacchetti.

§. 2. Cùm autem sicut dilectus filius Procurator Generalis Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium infirmis, Nobis nuper exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & observatione Apostolica confirmationis nostræ patrocinio communiti summo perè desideret. Nos ipsum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis à jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis prædictorum Cardinalium.

Confirmat prout in rubr.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præfatas literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore,

suosque plenarios, & integros effectus, sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit plenissimè suffragari, & ab illis respectivè inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & diffiniri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quorum quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus oportet sit dictæ Congregationis Clericorum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 6. Decemb. 1662. Pontificatus Nostri Anno octavo.

Contrariis derogat.

Dat. P. A. 8. die 6. Dec.

Confirmat Constitutionem Capituli Generalis Fratrum Congregationis Discalceatorum Ordinis B. MARIÆ de Mercede Redemptionis Captivorum circa renunciationem Officiorum Commendatorum, & Rectorum Collegiorum ipsius Congregationis.

CXXXII.

ALEXANDER PAPA VII.

*Ad futuram rei memoriam.*

Edita A. D. 1662.

Motiva.

Aliàs pro parte dilecti filii Procuratoris Generalis Congregationis Fratrum Discalceatorum nuncupat. Ordinis Beatæ MARIÆ de Mercede Redemptionis Captivorum, Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositis exposito, quod per Constitutiones dictæ Congregationis, à foel. rec. Urbano Papa VIII. Prædecessore nostro confirmatas cavebatur expressè ad evitandam Constitutionum multitudinem ne in futurum ulla Constitutio approbari, & confirmari posset, nisi in Capitulis Generalibus examinata, & approbata fuisset, quodque profelici ejusdem Congregationis regimine edita fuerat Constitutio, ut Commendatores, & Rectores Collegiorum ipsius Congregationis in medio administrationis suorum officiorum, illa in Diffinitorio Provinciæ renunciare, ac per epistolas pleno Diffinitorio directas rationem Domorum Regularium, quas renunciarent, ac Conventualium in eis degentium, necnon pecuniarum, & honorum ad eadem spectantium reddere deberent, & in potestate Diffinitorii Provinciæ hujusmodi esset, admittere ejusmodi resignationes, vel illas recusare sicuti ipsi Diffinitorio pro Dei, & Religionis servitio expedire videretur.

§. 1. Et in eadè expositione subjuncto, quod hæc Constitutio in quatuor Congregationibus generalibus successivè habitis approbata fuerat, ejusque Procurator Generalis probe conscius utilitatis, quæ ex illa prædictæ Congregationi provenerat, & proveniebat illam, ac omnia, quæ in illius observatione facta fuerant, & imposterum fierent, auctoritate Apostolica confirmari plurimum desiderabat: emanavit à Congregatione prædictorum Cardinalium decretum, ten. qui sequitur, videlicet.

§. 2. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita attentis,

Decretum Sac. Congr.